



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 62. Flagellantes hæretici.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](#)

**Secul. XV.**  
A. C. 1414.

rici, qui sic permansit tranquillus possessor  
folii Coloniensis.

§. LXII.

*Flagellantes hæretici.*

**Gobel. p.**  
**295.**

Hoc anno 1414 in Misniæ urbe Sanger-  
husio deprehensi sunt multi hæreti-  
ci, qui se dicebant *Fratres Crucis*, ac per-  
hibebant suam doctrinam esse haustam e  
scripto in Romanam S. Petri aram per  
Angelos delato sub annum 343: ita res  
hæc recidit in ætatem proximam a S.  
Silvestro. Ex illo tempore, ajebant, per-  
agramus orbem nos cædentes flagris:  
tunc enim Deus Papæ, cæterisque Prä-  
sulibus abdicatis ademit omnem potesta-  
tem ligandi, solvendi, & consecrandi  
quidpiam. Quemadmodum Christus ex-  
turbando venditores e templo sacerdo-  
tium Judaicum repudiavit ob nequitiam  
Sacerdotum: ita cum venissent Fratres  
Crucis, Deus sacerdotium Evangelicum  
rejecit ob malitiam Cleri.

Sex Sacramenta obsoleverunt in Ec-  
clesia. Nam quando Fratres Crucis cœ-  
perunt per orbem ire post crucem ali-  
quam flagellis publice terga lacerantes  
sua, Deus abrogato baptismo aquæ in-  
stituit baptisma nostri sanguinis. Jam  
tum, cum in urbe Cana Galilææ Christus  
aquam

aquam in vinum rubrum converteret, in Sæcul. XV.  
dicabat sub finem temporum baptismum A. C. 1414.  
aquæ in baptismum sanguinis mutatum  
iri. Proinde post adventum Fratrum Cru-  
cis nemo fuit verus Christianus, nemo in-  
trare cælum potuit, nisi per flagra sui san-  
guinis baptismo respersus fuit in memo-  
riam cruciatuum Christi. Sacramentum  
altaris nec verum Christi corpus, nec ve-  
rus Deus, sed Sacerdotum *Cuculus* est.  
Confessio Sacerdoti facta, & hujus abso-  
lutio nihil profundit ad condonationem pec-  
catorum: sed quantumvis atrocia sint,  
sufficit flagellorum poena cum acerbo do-  
lore de offensa Dei super omnia dilecti.  
Quocirca quælibet noxarum venia est  
nulla; quisquis eam dederit.

Elias, ac Enoch jam pridem in orbe  
comparuerunt, & sunt mortui. Elias ab-  
hinc annos quadraginta Erfordiæ concre-  
matus est: Enoch erat Doctor Conradus  
cognomine Faber; qui hanc doctrinam  
primus in Thuringia tradidit. Deus  
omnes animas in principio mundi crea-  
vit simul, & cum primo homine in para-  
diso posuit: unde Angelus unam trans-  
fert in quamvis prolem animandam. Sic  
Enochi ac Eliæ animæ sunt infusæ duci-  
bus instituti nostri. Extremo die præsi-  
debit judicio Conradus Faber, non Chri-  
stus. Post mortem non dantur flammæ

Zz 3              piacu-

Sacul. XV.  
A.D. 1514.

piaculares: ac exequiae nil juvant mortuos; vivis duntaxat sunt solatio; Cle-roque serviunt ad loculos implendos.

Non sunt celebrandae feriae praeter diem Dominicum, Natalem Christi ac solemnne Assumptae in cælum sanctæ Virginis. Quando Christi Natalis est dies Veneris, abstinentia carnium haud omitti debet. Isti autem hæretici se conformabant ad reliquos Christianos in agitandis diebus festis, in servandis jejuniis, in cultu imaginum, quem tamen vocabant idolatriam. Sed metuebant scilicet, ne obserarentur: & hæc errata, ut censebant, postea flagrorum ictibus expiabant.

\* Schönsfeld. Ab Henrico \* Bellagrio Doctore Theologiæ ac Inquisitore convicti horum erro-

rum omnium, damnati ad ignes, &

Sangerhusii combusti sunt.

INDEX